

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Dissertatio Inavgralis Medica De Stvpro Violento Et  
Cavsis, Cvr Hoc Svb Certis Modo Conditionibvs Fieri,  
Graviditas Vero Nvnqvam Exinde Oriri Possit**

**Fürbringer, Johann Gottfried Carl  
lenae, [1798?]**

**VD18 12167878**

Vorwort

**urn:nbn:de:gbv:45:1-8884**

*PRO O E M I V M.*

Jamjam vetustissimis temporibus legislatoribus et judicibus varia medicorum decreta et dogmata ad lites quasdam bene dijudicandas et decidendas scitu necessaria fuisse visa, probant varii loci in legibus Mosaicis\*) de signis virginitatis et leprae ut morbi dissimulati, et in Justiniani Institutionibus de tempore partus recte desinendo ad ejus suppositionem praecavendam, aliquie, potissimum vero demum Constitutione criminali Carolina anno 1532 promulgata decretum est, ut de vulnerum lethalitate, aborticidio, infanticidio, homicidio, graviditate celata etc. ad causas magis in luce collocandas, rectius dijudicandas et legitime decidendas, medicorum sententiae in consilium et auxilium sint vocandae. Hinc campus medicinae novum accepit incrementum, hinc Medicina forensis suam duxit originem, quae judici scitu necessarias rerum medicarum et physicarum suppeditat explications et ad justitiam in rebus controversis accurate administrandam praebeat principia. Utilitas Medicinae forensis eo evidentius elucet, quo plures et frequenter occurrent casus, in quibus sententiam dicere est medicorum, et hinc factum est, ut haec scientia inde ab ejus origine a gravibus scriptoribus in sistema redacta, in singulis partibus illustrata, et observationibus sit locupletata. *Zacchias, Loew, de Haller, Brendel, Kannegesser, Ludwig, Plenk, Schwabe, Müller, Sikora,*

\*) Vid. Michaelis *Mosaisches Recht*, II, Tom. p. 92, 138.



I  
illato  
meum  
missa,  
tatem  
A  
id scili  
meo in  
mersis  
teriae I  
extendi  
elegant

kora, Metzger et alii; in suis operibus omnes fere Medicinae forensis partes, singulas vero ejus partes Bohn, Bleghny, Devaux, Boemer, Gmelin, Plenk, Hahnemann, Plouquet, Loder, Mayer, Schulz, Walter, Morgagni, Jaeger, Merker, Camper et plures alii pertractarunt. Et ego etiam in materia ad Medicinam forensem pertinente, quae agit de stupro violento, elaboranda periculum feci, materia, quam in autorum operibus partim plane omissam, partim non satis explicatam vidi, quamquam experientia quotidiana doceat, stuprum violentum in judiciis non raro praetextum esse, ad prostitutionem, ex illico concubinatu ortam, diminuendam et excusandam. Quamdiu igitur stupri violenti et graviditatis exinde natae possibilias a ICtis omnino conceditur, tamdiu quoque dissertatio inutilis esse nequit, quae ejus impossibilitatem in plurimis casibus demonstrat, graviditatem vero exinde ori posse, ex argumentis negat. Tantum vero abest, ut credam, hanc tractationem esse ita comparatam, ut nihil possit desiderari, ut potius lubens concedam, me non ex omni parte lectoribus benevolis satisfecisse, eosque rogo, ut viribus juvenilibus in hoc scripto, quantum fieri licet, indulgere et errores, forsan commissos, benevole humaniterque condonare velint.

INTRO-



## INTRODVCTIO.

In doctrina de stupro violento bene ac rite pertractanda quatuor praecipue occurunt momenta et quaestiones, in quarum indagatione et responsione nostra jam versabitur opera.

Est enim inquirendum,

1. *quid sit stuprum violentum et quomodo dividatur?*
2. *an et quatenus sit possibile?*
3. *quaenam sint signa stupri violenti patrati et denique*
4. *num graviditas exinde possit oriri?*

His igitur praemissis rem aggrediamur ipsam.

### SECTIO I.

*De stupri violenti notione et divisione.*

§. 1.

Consummatio coitus est ipsa penis in vaginam mulierem immissio et geniturae virilis in eam ejaculatio, ista

A

ve-

